

9. Dubitant tamen hic nonnulli Theologi, an in distinctis speciebus hujus sacramenti sint distinctæ relationes signi, ex quibus componatur relatio totius, vel sit una indivisibilis relatio in toto composito. Scotus enim, d. 8, quæst. 4, priorem partem amplectitur. Capreolus vero ibi, ad 5 contra 2 conclus., et ad 5 contra 5, licet fateatur supponi singularum partium significationes, contendit tamen relationem totius sacramenti, esse unam et indivisibilem. Sed hæc quæstio est de nomine, et magis dialectica, quam Theologica, quia non solum de hoc sacramento, sed etiam de aliis, et de omnibus signis complexis ad placitum tractari potest. Dico igitur negari non posse, quin significatio integra hujus sacramenti componatur ex significationibus partium; componitur enim ex illis, quatenus significativæ sunt; et hoc voluit Scotus, et D. Thom. hic, cum dixit, hoc sacramentum esse unum, non ut indivisibile, sed ut perfectum, includens plura signa partialia. Nihilominus verum etiam est, in toto sacramento esse unam totalem significationem, quæ a significationibus singularum partium distinguitur. Hoc etiam constat ex dictis de unitate hujus sacramenti; non enim potest sacramentum esse unum, nisi sit unum signum; neque vero potest esse unum signum, nisi etiam aliquo modo sit significatio una, ut videre est in propositione, et terminis, ex quibus componitur; habet enim suum proprium significatum distinctum a significatis terminorum, ex quibus componitur. Hæc autem significatio totius sacramenti dici potest composita, quatenus diversis partibus constat, et in re composita inest; quodammodo tamen solet dici indivisibilis, quatenus indivisibiliter inest in toto complexo, ita ut nec in partibus manere possit eo modo, quo est in toto, neque etiam ablato debito ordine, et connexionione ipsarum partium; et hoc ad summum probant fundamenta Capreoli, quæ solum sunt quædam testimonia D. Thomæ.

SECTIO IV.

Quomodo unitas numerica hujus sacramenti sumenda sit.

4. *Status quæstionis.* — Quoniam de unitate specifica diximus, ut materiam hanc de unitate absolvamus, oportet, ut modum loquendi de illius unitate numerica explicemus. Dico autem modum loquendi, quia quod in re ipsa subsistit, facile perspicitur potest; constat

enim formas hujus sacramenti multiplicari numero, quando verba consecrationis hostiæ, vel calicis multiplicantur; constat etiam species panis seu vini, quamdiu continuæ sunt, habere quandam physicam unitatem, quam per discontinuationem amittunt, et physice multiplicantur; constat denique sub omnibus speciebus consecratis eundem numero Christum contineri. Ex quibus etiam constat tunc propriissime esse unum numero hoc sacramentum, quando species consecratæ habent physicam unitatem per partium continuationem, sive una forma, sive pluribus simul prolatis consecratæ sint; hoc enim non obstat unitati sacramenti, præsertim in hoc, in quo forma magis ad effectum quam ad constitutionem ipsius sacramenti requiritur. Difficultas ergo, quæ mihi videtur ad modum loquendi pertinere, superest, an species, hoc ipso, quod discontinuæ sunt, dici debeant plura sacramenta, vel non; et est sermo de speciebus ejusdem rationis; nam de speciebus panis et vini inter se collatis jam dictum est; possunt autem in hoc esse tres modi dicendi.

2. *Primus dicendi modus.* — Primus, tot esse sacramenta numero distincta, quot sunt species seu hostiæ consecratæ, divisæ et discontinuæ. Probat, quia species sunt sacramenta; ergo species numero distinctæ sunt sacramenta numero distincta. Secundo, quia quælibet illarum in sua specie habet totam significationem sacramenti, et non est pars alterius; ergo est integrum sacramentum, distinctum ab alio. Tertio, quia non apparet aptior modus distinguendi numero hæc sacramenta. Sed huic sententiæ videtur ob stare communis modus sentiendi et loquendi; nam sacerdos, qui accipit hostiam divisam in tres partes, non censetur accipere tria sacramenta, neque illa hostia censetur magis esse plura sacramenta post divisionem, quam antea. Unde, Concil. Florent., et Trident., sess. 13, can. 3, dicunt, in hoc sacramento contineri totum Christum sub unaquaque specie, et sub singulis speciei partibus, separatione facta; sentiunt ergo etiam post separationem esse unum sacramentum; et partes divisas esse partes unius sacramenti. Confirmatur primo, nam qui duas formas accipit, cum communicat, unum, et non duo sacramenta censetur accipere, alias duos etiam effectus gratiæ susciperet; nam si sacramenta essent duo, etiam sumptiones essent duæ; ergo et effectus essent duo, quia, quod simul concurrant, non impe-

dit effectum; vel certe, si illa censetur una moralis sumptio, etiam sacramentum censetur unum, non obstante discontinuatione specierum. Confirmatur secundo, quia, ut supra dicebam, in hujusmodi rebus artificialibus, unitas non pendet ex physica unione, vel continuatione; ut in baptismo, licet contingat ablutionem per partes continue fieri, tamen in ratione sacramenti una tantum materia censetur.

3. *Secundus dicendi modus.* — Secundus modus dicendi est, unitatem hujus sacramenti non pendere ex physica continuatione, sed ex morali conjunctione specierum, ita ut omnia illa, quæ per modum unius proponuntur, vel tribuuntur, unum sacramentum censeantur, etiam si non sint continua physice; ita loquuntur Soto et Ledesma supra, et videtur fieri probabile argumentis factis, et potest explicari ex metaphora convivii. Sicut enim est unum convivium, licet rebus diversis constet, ita etiam est unum ferculum seu una portio, licet partes illius discontinuas esse contingat. Unde juxta hanc sententiam partes hostiæ divisæ sunt unum sacramentum; et similiter omnes formæ in eadem pyxide existentes appellari possunt unum sacramentum, donec distributio fiat; unde plura sacramenta erunt, quæ moraliter sunt disjuncta, ut cum distinctæ hostiæ distinctis personis tribuuntur, vel omnino alias separatæ sunt, vel disjunctæ. Contra quem modum dicendi solum video posse ob stare, quod juxta illum nulla certa regula hujus unitatis, vel multitudinis præscribitur, sed uniuscujusque fere arbitrio relinquuntur.

4. *Tertius dicendi modus.* — Tertius modus dicendi esse potest, totum hoc sacramentum esse unum numero, et omnes species consecratas, ubicumque et quomodocumque sint, esse unum numero sacramentum, quod ita declarari potest, quia, ut infra dicemus, quod præcipuum est in hoc sacramento, est Christus, quatenus conjunctus speciebus unum sacramentum cum illis componit, quod est panis vite; quia ergo unum et idem corpus Christi est sub omnibus speciebus quantumvis discontinuis et disjunctis, ideo cum illis censetur componere unum numero sacramentum. Quod declaratur primo, quia si Verbum divinum assumeret plures humanitates, esset unus homo; ergo Christi corpus veluti assumens, seu sacramentaliter sibi conjungens plures species panis, cum eis constituit unum sacramentum. Item, si in eodem, vel propinquo

loco sub illis existat, constituit cum eis unum sacramentum; ergo et in diversis; sicut in exemplo posito, quod illæ humanitates essent in uno, vel diversis locis, nihil referret; vel etiam sicut unum corpus si esset in diversis locis, quamvis in eis haberet diversas albedines, nihilominus cum eis constitueret unum album. Et videtur hoc posse confirmari ex Paul., 1 ad Cor., dicente: *Omnes unum corpus sumus, qui de eodem pane participamus*; sicut enim Paulus intelligit omnes fideles unum numero corpus Ecclesiæ constituere, ita significat omnes unum numero panem seu sacramentum participare. Favet etiam Ambr. super 40 c. ep. ad Hebr., et habetur e. In Christo, de Cons., d. 2, dicens, unam esse hostiam, et non multas, quam Christus obtulit, et omnes sacerdotes offerunt; sicut ergo est idem numero sacrificium, quoad rem oblatam, ita est idem sacramentum; nam in Ecclesia id, quod offertur in sacrificium, sumitur ut sacramentum.

5. *Objectio.* — *Solutio.* — Sed objici potest, nam hinc fit, omnes fideles idem numero sacramentum Eucharistiæ recipere, quod videtur esse contra communem sensum omnium, et contra Clementem P., in c. Tribus gradibus, de Cons., d. 2, dicentem, *tot holocausta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere*. Respondetur, concedendo omnes fideles participare idem numero sacramentum, ut Paulus loquitur, quamvis diversas numero partes, formulas, aut hostias seu species sacramentales recipiant, de quibus, seu potius de numero hostiarum, quæ consecrandæ sunt, loquitur Clemens in d. c., quæ simpliciter plures sunt, præsertim ante consecrationem; at vero post illam recipiunt quandam unitatem sacramentalem, eo quod in eodem corpore Christi uniuntur; major enim videtur esse hæc unio, quod spectat ad unitatem sacramenti, quam unio per continuationem. Inter hos modos, ut dixi, tantum videtur esse dissensio de modo loquendi; et ultimus quidem probabilis valde est, et Theologicus, ac dignitati hujus sacramenti consentaneus, et satis aptus ad explicandum hoc mysterium; fovet enim pietatem, dum optime explicat et commendat unitatem, quæ in hoc sacramento significatur. Secundus tamen videtur esse magis usitatus et vulgaris. Primus vero nimium retinere vult philosophicum rigorem, et ideo ad loquendum in hac materia minus est accommodatus. Dicamus igitur hoc sacramentum de se posse dici

unum, præsertim si Christum attendamus; nihilominus tamen sicut species consecratæ sunt sacramentum, ita species separatas et multiplicatas esse plura sacramenta, vel physice, si physica tantum sit disjunctio, vel etiam moraliter, si separatio moralis etiam sit.

ARTICULUS III.

Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis (infra, q. 80, art. 11, et 4, dist. 9, art. 1, quæst. 2, et dist. 12, quæst. 3, art. 2, quæst. 4, et Joan. 6, lect. 7, col. 1).

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum sit de necessitate salutis. Dicit enim Dominus Joan. 6: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed in hoc sacramento manducatur caro Christi, et bibitur sanguis ejus. Ergo sine hoc sacramento non potest homo habere salutem spirituales vitæ.

2. Præterea, hoc sacramentum est quoddam spirituale alimentum. Sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo etiam hoc sacramentum est de necessitate spiritualis salutis.

3. Præterea, sicut baptismus est sacramentum Dominicæ passionis, sine qua non est salus, ita et Eucharistia; dicit enim Apostol. 1 Cor. 11: Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Ergo sicut baptismus est de necessitate salutis, ita etiam hoc sacramentum.

Sed contra est, quod August. scribit Bonifacio contra Pelagianos (lib. 1 contra duas epist. Pelagian., c. 22, in med., tom. 7): Nec illud cogitetis, parvulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi.

Respondeo dicendum, quod in hoc sacramento duo est considerare, scilicet, ipsum sacramentum, et rem sacramenti; dictum est autem, quod res hujus sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus; nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluvio absque arca Noe, quæ significat Ecclesiam, ut habetur. 1 Pet. 3; dictum est autem supra (q. 68, art. 2), quod res alicujus sacramenti haberi potest ante perceptionem sacramenti, ex ipso voto sacramenti percipiendi. Unde ante perceptionem hujus sacramenti, potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc sacramentum; sicut et ante baptismum ex voto baptismi, ut supra dictum est (quæst. 68, art. 2). Est tamen dif-

ferentia, quantum ad duo. Primo quidem, quia baptismus est principium spiritualis vitæ, et janua sacramentorum; Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, et omnium sacramentorum finis, ut supra dictum est (quæst. 65, art. 3); per sanctificationes enim omnium sacramentorum, fit præparatio ad suscipiendam vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo perceptio baptismi est necessaria ad inchoandam spirituales vitæ; perceptio autem Eucharistiæ est necessaria ad consummandam ipsam, non ad hoc quod simpliciter habeatur, sed sufficit eam habere in voto, sicut et finis habetur in desiderio et intentione; alia differentia est, quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam; et ideo ex ipso, quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam; et sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius. Sed ad baptismum non ordinantur per aliud præcedens sacramentum. Et ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum in voto, sed soli adulti; unde rem sacramenti non possunt percipere sine perceptione sacramenti. Et ideo hoc sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus.

Ad 1 ergo dicendum, quod sicut Augustin. dicit, exponens illud verbum Joan. (tract. 26, tom. 9): Hunc cibum et potum, scilicet carnis suæ et sanguinis, societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis et vocatis, et justificatis et glorificatis sanctis et fidelibus ejus. Unde sicut ipse dicit in epist. ad Bonifac. (refertur de Consecr., dist. 5, cap. Nulli): Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptisate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus decedat.

Ad 2, dicendum, quod hæc est differentia inter alimentum corporale et spirituale, quod alimentum corporale convertitur in substantiam ejus qui nutritur; et ideo non potest homini valere ad vitæ conservationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur. Sed alimentum spirituale convertit hominem in seipsum, secundum illud, quod August. dicit in lib. Confess. (lib. 7, c. 10, a med., tom. 1), quod quasi audivit vocem Christi, dicentis

sibi: Nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari et ei incorporari voto mentis, etiam sine hujus sacramenti perceptione. Et ideo non est simile.

Ad 3, dicendum, quod baptismus est sacramentum mortis et passionis Christi, prout homo regeneratur in Christo virtute passionis ejus; sed Eucharistia est sacramentum passionis Christi, prout homo perficitur in unione ad Christum passum. Unde sicut baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vitæ, ita Eucharistia dicitur sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, ut dicitur Coloss. 3.

COMMENTARIUS.

1. Tractat D. Thom. de necessitate medii, non de necessitate præcepti, quod satis constat ex discursu articuli, et infra, quæst. 80, de necessitate præcepti disputat. Ut autem D. Thom. quæstioni respondeat, distinctione utitur inter sacramentum et rem sacramenti; rem sacramenti vocat gratiam seu unionem charitatis cum Christo et corpore ejus, quod est Ecclesia, extra cujus unitatem non est salus; sacramentum autem vocat species consecratas, seu corpus Christi verum sub illis contentum. Dicit ergo primo D. Thom. rem sacramenti esse ad salutem necessariam, quia sine Ecclesiæ unitate non est salus. Ubi observare oportet unitatem Ecclesiæ seu charitatis dupliciter considerari posse: uno modo secundum se; alio modo prout esse potest effectus Eucharistiæ, et per illam perfici seu consummari. Hoc modo posteriori est proprie et formaliter hæc unitas res hujus sacramenti; nam sicut per illud speciali modo significatur, ita et efficitur, ut infra latius dicemus agentes de effectibus hujus sacramenti. Priori autem modo hæc unitas secundum se, et generatim sumpta, non necessario est res hujus sacramenti, proprie et formaliter loquendo; nam fieri potest, et augeri per alia sacramenta, aut per actus virtutum et merita; tamen per quamdam appropriationem dicitur hæc unio res hujus sacramenti, quia est unio cum Christo, qui in hoc sacramento continetur; quomodo etiam, qui per fidem et charitatem unitur Christo, dicitur spiritualiter manducasse Christum et

hoc sacramentum, sicut Paul., Cor. 10, ait, Israelitas eandem escam et potum spirituales manducasse et bibisse. Hoc ergo posteriori modo dicitur res hujus sacramenti necessaria ad salutem, ut latius infra exponemus.

2. Secundo de ipso sacramento dicit D. Thom. non esse tam necessarium ad salutem sicut baptismum, quod in arg. Sed contra, probat testimonio Augustin., lib. 1 cont. duas epist. Pelag., cap. 22; sed D. Thom. vel non retulit hæc verba ex originali, sed ex Gratiano; vel forte incidit in mendosum codicem; sic enim refert verba Augustin.: Nec illud cogitetis parvulos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi, quomodo refert eadem verba Gratian. in cap. in Ecclesia, de Cons., dist. 4; re tamen vera non ita legendum est, sed ut habent veri et emendati codices: Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis et sanguinis Christi, dicente ipso: Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Unde ex hoc loco potius videtur probari hujus sacramenti necessitas, et plane ex contextu et intentione Augustin. constat hanc esse mentem illius; quo autem sensu vera sit, infra dicetur. Ratione probat D. Thom. assertionem suam, primo, quia perceptio baptismi est simpliciter necessaria ad vitam spirituales, perceptio autem Eucharistiæ ad consummationem ejus; magis autem necessaria est vita, quam perfectio ejus. Secundo quia aliquibus, scilicet parvulis, necessarius est baptismus reipsa susceptus, non tamen Eucharistia, quia per ipsum baptismi sacramentum ordinantur ad Eucharistiam, et veluti desiderant illam; et hoc satis est, ut accipiant rem sacramenti ad salutem necessariam; ad baptismum autem non ordinantur per aliud sacramentum, nec per proprium actum illum desiderare possunt; et ideo sine ipso sacramento non possunt recipere rem sacramenti. Ex quibus rationibus videtur colligi, mentem D. Thom. esse, asserere hoc sacramentum esse necessarium in re vel in voto, nunquam tamen esse necessariam realem susceptionem ejus, necessitate scilicet medii seu finis, sicut interdum est susceptio baptismi; quo autem sensu hæc doctrina suscipienda sit, in sequenti disputatione tractabitur, ubi etiam solutionem argumentorum explicabimus.